

**I**colaus Leonicus illevnde cūq; doctus, disciplinæ Platonicæ & Aristotelicæ planè eruditus, totius antiquitatis & bonarum literarum consultissimus, verterat aliquando in latinū quæ vulgo Parua Naturalia dicuntur, opus aureum & frugiferum, miro quodā & salutari tempe- ramento, vt neque verbum verbo redderet, & ipsi autho ri nullam vim afferret: non priuatæ iactantiæ studens, sed publicæ legen- tium vtilitati prospiciens. Adiecerat & commentaria, meo iudicio valde probanda, partim latinos, partim græcos authores imitatus. Perfectum opus erat & absolutum, expectabatq; tantum supremam manum: ipse ta men (vt est omniū modestissimus) adhuc hæsitabat, & recrastinabatur. Forte fortuna venio ad eum salutandum quodam die. Is me comiter & benignè excepit, vt est obuius & expositus omnibus, summaq; humani- tate & dexteritate prædictus. quimque post longum & copiosum sermo- nem de communibus studijs ortum, legisset mihi scripta sua, maximam cepi voluptatem, studiosorum nomine hortatus, vt quamprimum illa ad communem omnium vtilitatem publicaret. Reluctatus est aliquandiu, fateor. postremo quotidianis precibus, interdum etiam conuitijs extor- simus vt morem nobis inuitus gereret. Habetis ergo mea opera vigilias hominis optimi & eruditissimi, vobis (vt spero) summe placituras, & stu diosis omnibus magno adiumento futuras. Quas quæso legite diligēter & accurate, posthabitatis omnino recentiorum authorum præstigijs. Aut ego fallor, aut dicetis idem quod ego sentio, his multis annis nihil eiusdē generis omnibus numeris perfectius in lucem exiisse. Valete iuuenes no bilissimi, & proficie, & maiorum vestigijs nixi, ingenue me docente ope ram philosophiæ impēdite, explosis e gymnasio isto nostro Sophistarum cauillamentis & nugis. Patauij M. D. X XII. Kalen. Octobris.

aa.ij.